

quibus accommodatum est facillime evenire possunt.

§. 12. *Enim vero dum quis istam medelam indiscretim in his morbis adhibet, ac praecipue in catarrhalibus, facillime morbum in consuetudinem constituit, ut recidat, nec aliter curari possit, nisi isto remedio. Id quod facile patebit ei, qui propensiones perpendit, quas natura, cum in parva sanitatis depravatione, tum etiam in his morbis levioribus semper ostendit, humoris infestantis fluxum directe eo dirigen^s, unde semel quis vel saepius eum extraxit, excretionem ejus, quae antea consueta fuerat, properans. Qua retardata, humorem istum introrsum retrocedentem ad loca iterum quae antea affecta fuerant, quippe debiliora, protrudere solet, eadem iterum aegrotantibus symptomata & magis pejora efficiens. Quem humorem nemo facile ab iis distrahere, nec unquam istos morbos aliter curare valet, nisi illico venam fecet pro consuetudine, humorem, & una cum illo corporis vim exauriens, & illum quidem non totum, hanc vero integrum, ut idem iterum morbus cito recurrit. Hocque igitur modo corpus obnoxium istis morbis reddit,*